

APPENDIX

AD

MISSALE
ROMANUM

COMPLECTENS

MISSAS IN ARCHIDIAECESI LEOPOLIENSI

CELEBRANDAS.

EX

INDULTO APOSTOLICO

NEC NON

AUCTORITATE ET JUSSU

Reverendissimi, Illustrissimi ac Excellentissimi

DOMINI DOMINI

Francisci de Paula

PIŠTĚK,

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPI LEOPOLIENSIS,
CAES. REG. APOSTOLICAE MAJESTATIS ACTUALIS INTIMI CONSILIARII,
REGNORUM GALICIAE ET LODOMERIAE PRIMATIS

ETC. ETC.

190.942

190942

Leopoli,

TYPIS PETRI PILLER.

1839.

ALPHABETIC

MILITARIA

ROMANUM

COMITATUS

MISSAS IN ARCHIDIAECESI EPONOLITENSI

CHRETIANAE

LXX

Missa quotidie dicitur secundum ordinem officii.

Rubr. gen. Miss.

Sacra oblatio, sive illam Petrus, sive illam cujusque meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit ipse Christus Discipulis, quamque sacerdotes modo quotidie conficiunt.

Chrysost. hom. 24. in I. Cor.



FRANCISCI DE P...

PISTEN...

THEATRO REGIO...
CASA REGIA...
MUSEUM...

Leopoldi

...

1859

FESTA FIXA

SEU MISSAE AD DIES MENSIVM ALLIGATAE.

23. Januarii.

SANCTI JOANNIS ELEEMOSYNARII.

INTROITUS Ps. 131.

Sacerdotes tui Domine induant justitiam et sancti tui exultent: propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui.

Psalm. ibid. Memento Domine David et omnis mansuetudinis ejus.

✠. Gloria Patri, etc.

ORATIO.

Deus qui B. Joannem Eleemosynarium Confessorem Pontificem tuum sanctarum Eleemosynarum erogatorem constituisti, donisque temporalibus cumulatum, ad pauperum tuorum consolationem, deficere nunquam permisisti, concede propitius, ut ejus merita hodierna die recolimus, ejus imitatione praesentium, futurorumque bonorum dona, te adjuvante consequi mereamur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apodstoli Hebraeos. *Hebr. 7.*

Fratres: Plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: Jesus autem, eo quod maneat in aeternum sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et eccelsior coelis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerere, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo, Jesus Christus Dominus noster.

Graduale. Psalm. 131. Sacerdotes ejus induam salutari: et sancti ejus exultatione exultabunt. ✠. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Alleluja, alleluja. ✠. *Ps. 109.* Juravit Dominus et non poenitebit eum: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, alleluja.

Post Septuagesimam omissis. Alleluja et Versu seq. dicitur Tractus *Psal. 111.* Beatus vir: qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. ✠. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

✠. Gloria et divitiae in domo ejus et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Tempore Pasch. omitt. Graduale et ejus loco dicitur. Alleluja, Alleluja.

✠. *Psal. 109.* Juravit Dominus, et non poenitebit eum: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, alleluja. ✠. *Eccles. 45.* Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, alleluja.

†. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Lucae 6.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est. Nolite judicare, et non judicabimini: nolite condemnare et non condemnabimini. Dimittite, et dimittimini. Date et dabitur vobis: mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis et similitudinem: Num quid potest coecus coecum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magi-

strum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quae in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater sine, ejiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.

Offertorium Psalm. 88.

Veritas mea et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabiter cornu ejus.

S e c r e t a.

Sancti Joannis Confessoris tui atque Pontificis, quaesumus Domine, annua solemnitas pietati tuae nos reddat acceptos: ut per haec piae placationis officia et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiae tuae dona conciliet. **Per Dominum.**

Communio Math. 24.

Beatu servu, quem cum venerit Dominu, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

Deus, fidelium remunerator animarum, praesta: ut beati Joannis Confessoris tui atque Pontificis, cujus venerandam celebramus festivitatem, precibus indulgentiam consequamur. **Per Dominum.**

28. Januarii.

SANCTI ILDEPHONSI E. C. E. D.

Missa de Comuni Doctorum: In medio Ecclesiae cum Gloria et Credo.

O R A T I O.

Deus, qui per gloriosissimam filii tui matrem beatum Ildephonsu Confessore tuu atque Pontificem, misso de thesauris coelestibus munere decorasti, concede propitius, ut per ejus preces et merita munera capiamus aeterna. **Per eundem Dominum.**

Secreta et Postcommunio accipitur ex missa Sacerdotes de Comuni Conf. Pont.

3. Februarii.

S. BLASII EPISCOPI ET MARTYRIS.

I N T R O I T U S.

Gaudemus omnes in Domino, diem festu celebrantes sub honore S. Blasii Martyris, atque Pontificis de cujus passione gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei. *Psal. 47.* Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri in monte sancto ejus. —

✠. Gloria Patri, etc. — Gaudemus.

G l o r i a.

Oratio.

Deus, qui beatu Blasium Martyrem tuu, atque Pontificem in suis perferendis suppliciis, ac in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti: concede propitius; ut illius et in fide constantiam imitemur, et in periculis patrocinia sentiamus. **Per Dom.**

Lectio Epistolae B. Pauli Apostoli ad Hebraeos. *Cap. 11.*

Fratres: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos: alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secli sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terrae. Et hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale. Psalm. 8. Gloria et honore coronasti eum. *ψ.* Et constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine. Alleluja, Alleluja. *ψ.* Hic est sacerdos quem coronavit Dominus Alleluja.

Post Septuages. omissis. Alleluja, et ψ. sequenti dicitur Tractus. Psalm. 111. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. *ψ.* Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. *ψ.* Gloria et divitiae in domo ejus: et justitia ejus manet in saeculum saeculi. —

† *Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum. Matthae. 10.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam: Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus, et servo sicut dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domesticos ejus? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non revelabitur: et occultum quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, praedicate super tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

Offertorium Sap. 10. 18.

Transvexit illum Dominus per aquam nimiam, et ab altitudine inimicorum eduxit illum.

Secreta.

Hostias tibi, Domine, B. Blasii Martyris tui, atque Pontificis dicatas meritis, benignus assume: et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum nostrum.

Communio Psalm. 88.

Semel juravi in sancto meo: semen ejus in aeternum manebit: et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis. —

Postcommunio.

Percepta nobis Domine praebeant Sacramenta subsidium: et praesta; ut beati Blasii Martyris tui, atque Pontificis meritis et intercessione, nulla nobis noceat adversitas, et nulla dominetur iniquitas. Per Dominum.

5. Februarii.

**IN FESTO B. B. MARTYRUM JAPONUM
E SOCIETATE
JESU, PAULI, JOANNIS ET JACOBI.**

Missa: Salus autem. De communi plurimorum Martyrum, excepto Evangelio, quod desumitur ex prima Missa ejusdem communis: Cum audieritis. Gloria.

O R A T I O.

Deus, qui primitias fidei apud Japoniae gentes Beatorum Martyrum tuorum Pauli Joannis et Jacobi sanguine confirmasti: concede propitius; ut ad tui nominis confessionem, quorum excitamur exemplis, eorum precibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.

6. Februarii.

S. DOROTHEAE VIRGINIS MARTYR.*Missa: Me expectaverunt. De comm. Virg. Mart.*

9. Februarii.

SANCTI SEVERINI ABBATIS.*Missa: Os justi. De communi Abbatum.*

19. Februarii.

S. CONRADI PLACENTINI CONF.*Missa: Justus ut palma. De comm. Conf non Pontif. Evangelium: Ecce nos reliquimus omnia: De communi Abbatum.*

20. Februarii.

**SACR. RELIQUIARUM IN ECCLESIIIS
ARCHIDIAECESEOS.**

INTROITUS Psalm. 33.

Multae tribulationes justorum, et de his omnibus liberabit eos Dominus: Dominus custodit omnia ossa eorum: unum ex his non conterretur.

Psalm. ibidem. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. ✠. Gloria Patri etc.

G l o r i a.

Oratio.

Auge in nobis Domine resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum reliquiis mirabilia operaris: et fac nos immortalis gloriae participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum nostrum.

Lectio libri Sapientiae. Eccl. 44.

Hi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, haereditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum, et filii eorum propter illos usque in aeternum manent: semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nunciet Ecclesia.

Graduale. Psalm. 149. Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis. ✠. *Psalm. ibid.* Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia sanctorum. Alle-

luja, Alleluja. *Ps. 67.* **Justi epulentur et exultent in conspectu Dei, et delectentur in laetitia. Alleluja.**

† **Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Lucae 6.***

In illo tempore: Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judaea, et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis, qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat: **Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die, et exultate: ecce enim merces vestra multa est in coelo.**

C r e d o.

Offertorium Psalm. 67.

Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus, Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae: benedictus Deus. Alleluja.

S e c r e t a.

Imploramus Domine clementiam tuam, ut sanctorum tuorum, quorum reliquias veneramus, suffragantibus meritis, hostia, quam offerimus, nostrorum sit expiatio delictorum. Per Dominum.

Communio Ps. 52.

Gaudete justi in Domino, rectos decet collaudatio.

Postcommunio.

Multiplica super nos; quaesumus Domine, per haec sancta, quae sumpsimus, misericordiam tuam; ut sicut in tuorum solemnitate Sanctorum, quorum reliquias colimus, pia devotione laetamur; ita eorum perpetua societate, te largiente, fruamur. Per Dom.

23. Februarii.

S. PETRI DAMIANI EPISCOPI C. E. D.

EX DECRETO LEONIS XII. DIE 1. OCTOBRIS 1828.

Missn: In medio Ecclesiae. De communi Doctorum cum Gloria et Credo.

O R A T I O.

Concede nos, quaesumus, omnipotens Deus, beati Petri Confessoris tui atque Pontificis monita et exempla sectari; ut per terrestrium rerum contemptum aeterna gaudia consequamur. Per Dominum. —

1. Martii.

S. ALBINI CONF. PONTIFICIS.

Missa ex Communi Confessoris Pontificis.

O R A T I O.

Votiva, quaesumus Domine, nos beati Albinus Confessoris tui atque Pontificis natalitia restaurent, et ad omne bonum tua gratia faciant propensiores. Per Dominum.

2. Martii.
S. HELENÆ IMPERATRICIS VIDUÆ.

INTROITUS Gal. 6.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. — *Psalm. 22.* Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.

Gloria Patri, etc.

Gloria.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui locum ubi crux tua latebat, beatæ Helenæ revelasti, ut per eam Ecclesiam tuam hoc pretioso thesauro ditares; ejus nobis intercessione concede, ut vitalis ligni pretio, æternæ vitæ præmia consequamur. Qui vivis et regnas. *In Quadrages. fit. commemor. Fer*

Lectio libri Sapientiae. *Prov. 31.*

Mulierem fortem quis inveniet? *ut in Missa: Cognovi de eodem communi.*

Graduale Ps. 44. Vultum tuum deprecabantur omnes divites plebis, filiae Regum in honore tuo. — *ψ.* Adducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi in lætitia et exultatione: adducentur in templum Regis.

Tractus. Veni sponsa X. accipe coronam: *ut in eadem Missa. —*

† *Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum. Math. 13.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum simile est regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas. Inventa autem una prætiosa margarita, abiit et vendidit omnia, quæ habuit et emit eam. Iterum simile est regnum coelorum sagenæ missæ in mare et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consumatione sæculi: exhibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno coelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

Offertorium.

Non enim judicavi me scire aliud nisi Jesum Christum et hunc crucifixum.

Secreta.

Per hæc sacra mysteria concede nobis, Domine, ut sicut Beatæ Helenæ misericorditer tribuisti, ut filium tuum crucifixum in corde semper gestaret; ita et nos eum in cordibus nostris perpetuo deferamus. Per eundem Dominum.

In Quadragesim. commemor. Ferie et Praefatio Quadragesimæ.

Commuo.

Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus.

Postcommuio.

Concede nobis misericors Deus, ut qui salutiferæ Crucis tuæ fructu in terra sumus re-creati; per intercessionem beatæ Helenæ eodem jugiter perrui mereamur in coelis. Qui vivis et regnas etc.

In Quadrages. commemor. Ferie et ultimam Evang. de eadem.

3. Martii.

B. VINCENTII KADŁUBEK DE ROSIS,

Episc. Cracov. Conf.

Missa: Statuit ei Dominus. De Comm. Conf. Pont.

O R A T I O.

Deus, qui B. Vincentium Confessorem tuum atque Pontificem spræctis sæculi pompis humilitatis gloria decorasti: præsta quaesumus, ut tantæ virtutis proficientes exemplo ejus meritis gloriæ consortes efficiamur. Per Dominum.

13. Martii.

S. CATHARINAE BONONIENSIS.

Missa: Dilexisti. Ex Communi Virginum.

O R A T I O.

Concede nos famulos tuos Deus, beatæ Catharinæ Virginis suffragiis adjuvari, cujus odore unguentorum trahimur ad tua sancta lætantes. Per Dom.

15. Martii.

SANCTI LONGINI MARTYRIS.

Missa: In virtute de Comm. Martyr. non Pontificis præter Orationes et Evangelium.

O R A T I O.

Deus, cui soli cognitus est numerus electorum: præsta quaesumus, ut intercessionè Beati Longini militis tui electi, liber sanctæ prædestinationis nos adscriptos retineat, ut de hoc felici gaudio collaetemur, et ipsius sanctis meritis adjuvemur. Per Dominum.

† *Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem. Joan. 19.*

In illo tempore: rogaverunt Judæi Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Venerunt ergo milites: et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit: ut et vos credatis. Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Viderunt, in quem transfixerunt.

S e c r e t a.

Domine dominantium, Rex Regum, Jesu Christe, qui te oblationem novam et immaculatam in ara crucis pro nobis peccatoribus obtulisti, et per lanceam militis sanguinem tuum de corde fudisti, suscipe hanc nostram oblationem, quam ob passionem tuam, et ejusdem militis S. Longini commemorationem facimus, ut perpetuum auxilium sentiamus. Qui vivis et regnas.

Communio Psal. 20.

Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam et magnum decorem impones super eum Domine.

Postcommunio.

Refecti et renovati pabulo coelesti, clementiam tuam omnipotens Pater imploramus; ut, qui festa Beati Longini militis et martyris veneramur in terris, pro nobis filium unigenitum, quem transfixit, jugiter imploret in coelis. Qui tecum vivit et regnat.

24. Aprilis.

SANCTI GEORGII MARTYRIS.

I N T R O I T U S Ps. 63.

Protexisti me Deus a conventu malignantium, alleluja: a multitudine operantium iniquitatem, Alleluja, Alleluja.

Psalm. ibid. Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam.

ŷ. Gloria Patri etc.

O R A T I O.

Deus, qui nos B. Georgii Martyris tui meritis et intercessione laetificas, concede propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuae gratiae consequamur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Timotheum. 2. *Tim.* 2. et 3.

Charissime, memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans; sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quae est in Christo Jesu, cum gloria coelesti. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiae, Iconii et Lystris: quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Alleluja, Alleluja.

ŷ. *Ps.* 88. Confitebuntur coeli mirabilia tua Domine; etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum, Alleluja.

ŷ. *Ps.* 20. Posuisti Domine super caput ejus coronam de lapide pretioso, Alleluja.

† Sequentia S. Evangelii secundum Joannem. *Joan.* 15.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est, etc. *ut de Communi unius Martyris tempore paschali.*

Offertorium Ps. 88.

Confitebuntur coeli mirabilia tua, Domine, et veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. Alleluja, Alleluja.

S e c r e t a.

Munera, Domine oblata sanctifica: et intercedente beato Georgio Martyre tuo, nos per haec a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum.

Communio Psalm. 63.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo; et laudabuntur omnes recti corde. Alleluja, Alleluja.

Postcommunio.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut, quos tuis reficis sacramentis, intercedente beato Georgio Martyre tuo, tibi etiam placitis moribus dignanter tribuas deservire. Per Dominum nostrum.

Si hoc Festum transferatur post Dominicam Trinit. Missa erit: In virtute tua. De Comm. unius Martyris extra tempus paschale cum Orat. supra positis. Evang. vero: Siquis venit ad me.

27. Aprilis.

S. FIDELIS A SIGMARINGA MARTYRIS.

Missa: Protexisti me Deus. De Comm. unius Martyris tempore paschali, praeter orationem sequentem.

O R A T I O.

Deus, qui B. Fidelem Seraphico spiritus ardore succensum in verae fidei propagatione Martyrii palma, et gloriosis miraculis decorare dignatus es: ejus quaesumus meritis, et intercessione, ita nos per gratiam tuam in fide et charitate confirma, ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Si contigerit hoc festum transferri post Pentecosten, tunc Missa erit: In virtute tua. De Com. unius Martyris extra tempus paschale et Evang. Si quis venit ad me.

16. Maji.

S. JOANNIS NEPOMUCENI MARTYRIS.

Pro omnibus statibus Augustae Domui Austriacae subjectis.

INTROITUS Eccl. 51. 20.

Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam: et in ipsa laudabo eum.

Psalm. 38. 1. Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.

✠. Gloria Patri, etc. Dedit mihi etc. Gloria.

O R A T I O.

Deus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam Martyrii corona decorasti: da ut ejus exemplo et intercessione ori nostro custodiam ponentes, Beatis, qui lingua non sunt lapsi, annumeremur. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiae. Eccl. 21. 26.

Stultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per ostium: et prudens gravabitur contumelia. Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur, et qui cum eo manserit, odiosus erit: tacitus et sensatus honorabitur.

Graduale. Prov. 11. 13. Qui ambulat fraudulentem, revelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat.

✠. *Psalm. 14. 1. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum. Alleluja, Alleluja.*

✠. *Eccl. 25. 11. Beatus qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se, Alleluja.*

Tempore Paschali. Alleluja, Alleluja.

✠. *Eccl. 25. 11. Beatus qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se, Alleluja.*

✠. *Prov. 10. 31. et 12. 18. Lingua pravorum peribit. Lingua autem sapientium est sanitas, Alleluja.*

Post Septuag. Tract. Jac. 1. 26. Si quis putat, se religiosum esse, non refrænaus linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.

✠ *ibid. 2. 2.* Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

✠ *ibid. 2. 7.* Omnes enim natura bestiarum domantur, et domita sunt a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.

✠ *Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum. Math. 11. 2.*

In illo tempore: Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illis: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Jesus, ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelisantur: et beatus est, qui non fuerit scandalisatus in me. Illis autem abeuntibus, coepit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis, et plus quam Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Offertorium Eccl. 42.

Non duplices sermonem de revelatione sermonis absconditi: et eris vere sine confusione, et inuenies gratiam in conspectu omnium hominum.

Secreta.

Hæc tua, Domine, sacra Mystera illum in nobis quaesumus ignem accendant, quo inclytus Martyr et Sacerdos tuus Joannes, ea peragendo, flagrabat. Per Dom. nostrum.

Communio Isa. 6.

Volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem tulerat de altari, et tetigit os meum.

Postcommunio.

Fragilitatem nostram Domine, coelestis hæc mensa fortium pane confirmet: qui beati Martyris et Sacerdotis tui Joannis tentatam contra honorem Sacramenti constantiam jugiter aluit ad victoriam. Per Dominum.

17. Maji.

S. PASCHALIS BAYLON CONFESSORIS.

Missa: Os justi, De Comm. Conf. non Pont. praet. orat. seq.

O R A T I O.

Deus qui beatum Paschalem Confessorem tuum mirifica erga Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria dilectione decorasti, concede propitius, ut quam ille ex hoc divino convivio spiritus percepit pinguedinem, eandem et nos percipere mereamur. Qui vivis etc.

21. Maji.

S. FELICIS A CANTALITIO CONF.

INTROITUS Reg. 1. Cap. 2.

Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. Suscitatur de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, et solium gloriae teneat.

Tempore Paschali additur. Alleluja, Alleluja.

Psalm. 68. Videant pauperes, et laetentur: quaerite Deum, et vivet anima vestra: quoniam exaudivit pauperes Dominus.

✠ *Gloria Patri etc., Dominus etc.*

Gloria.

Oratio.

Fac nos, Domine Jesu, in simplicitate, et innocentia cordis nostri ambulare, quarum amore de sinu Matris inter beati Felicis Confessoris tui brachia descendisti. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Colossenses. Colos. 3.

Fratres, induite vos, sicut electi Dei, Sancti, et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem; et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem haec, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes, et commonentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, et Canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.

Tempore Paschali. Alleluja, Alleluja.

✠ *Psalm. 26. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitae meae: ut videam voluptatem Domini. Alleluja.*

✠ *Psalm. 67. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Alleluja. Si vero hoc festum transferetur post Pentecosten dicitur:*

Graduale. Psalm. 17. Misit de summo et accepit me, et assumpsit me de aquis multis.

✠ *Et retribuet mihi Dominus secundam justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus. Alleluja, Alleluja.*

✠ *Psalm. 30. Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita. Alleluja.*

† *Sequentia sancti Evangelii secundum Mathaeum. Matth. 11.*

In illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos: et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Offertorium Sap. 10.

Honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

Tempore Paschali additur. Alleluja.

Secreta.

Adesto votis nostris, clementissime Deus, ut haec oblatio salutaris, quae in honorem beati Felicis persolvitur, ad delictorum nostrorum veniam impetrandam in odore suavitatis ascendat. Per Dominum.

Communicatio Cant. Cap. 2. et 3.

Dilectus meus mihi, et ego illi. Tenui eum, nec dimittam.

Tempore Paschali additur. Alleluja.

Postcommunio.

Exuberet, quaesumus Domine, in cordibus nostris percepti gratia Sacramenti, quae nos beati Felicis Confessoris tui imitatione purificet, atque intercessionem communiat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc.

24. Maji.

B. M. V. TITULO AUXILIUM CRISTIAN.

Missa: Salve Sancta parens, ut in votivis B. M. V. a Pentecoste usque ad adventum. Dicitur Credo. Praefatio de beata Maria, Et te in festivitate.

Tempore autem paschali additur. Alleluja. bis ad Introitum, semel ad Offertorium et ad Communionem ejusdem Missae, sed loco Gradualis sumitur Alleluja, ex Missa votiva a Pascha usque ad Pentecosten.

O R A T I O.

Omnipotens et misericors Deus, qui ad defensionem populi christiani in beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti; concede propitius, ut tali praesidio muniti certantes in vita victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum.

S e c r e t a.

Per Religionis Christianae triumpho, hostias placationis tibi, Domine, immolamus, quae ut nobis proficiant, opem auxiliatrix virgo praestet, per quam talis perfecta est victoria. Per Dominum.

Postcommunio.

Adesto, Domine populis, qui participatione Corporis et Sanguinis tui reficiuntur; ut, sanctissima tua Genitrice auxiliante, ab omni malo, et periculo liberentur et in omni opere bono custodiantur. Qui vivis etc.

E Rescripto S. R. Congr. dd. 10. Julii 1838.

4. Junii.

S. FRANCISCI CARACCILO CONF.

INTROITUS Psalm. 21. et 68.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei, quoniam zelus Domus tuae comedit me. *Psalm. 72. Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.*

✠. Gloria Patri etc.

O R A T I O.

Deus, qui beatum Franciscum novi Ordinis Institutorem orandi studio, et poenitentiae amore decorasti, da famulis tuis in ejus imitatione ita proficere, ut semper orantes et corpus in servitum redigentes, ad coelestem gloriam pervenire mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Lectio libri Sapientiae. Sap. 4.

Justus, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis et aetas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores, translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia. Consummatus in brevi explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.

Graduale Psalm. 41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

✕. Sitivit anima ad Deum fortem vivum. Alleluja, Alleluja.

✕. *Psalm. 72.* Defecit caro mea, et cor meum. Deus cordis mei, et pars mea. Deus in aeternum. Alleluja.

Tempore paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur Alleluja, Alleluja.

Psal. 64. Beatus quem elegisti, et assumsisti habitabit in atriis tuis Alleluja.

Psal. 14. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in saeculum saeculi. Alleluja.

† *Sequentia S. Evangelii secundum Lucam. Lucae. 12.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentis in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod praecinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem sciote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non soneret perfodi domum suam. Et vos estote parati: quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Offertorium Psalm. 91.

Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Secreta.

Da nobis clementissime Jesu, ut praeclara beati Francisci merita recolentes, eodem nos, ac ille, charitatis igne succensi digne in circuitu sacrae hujus mensae tuae esse valeamus. Qui vivis etc.

Communio Psalm. 30. 20.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te.

Postcommunio.

Sacrosancti Sacrificii, quaesumus Domine, quod hodie in solemnitate beati Francisci tuae obtulimus Majestati, grata semper in mentibus nostris memoria perseveret, et fructus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

25. Junii.

SANCTI GUILIELMI ABBATIS.

Missa: Os justi, de Comuni Abbatum, praeter Orationem sequentem.

O R A T I O.

Deus, qui infirmitati nostrae ad terendam salutis viam in Sanctis tuis exemplum, et praesidium collocasti, da nobis ita beati Guilielmi Abbatis merita venerari, ut ejusdem excipiamus suffragia, et vestigia prosequamur. Per Dominum nostrum.

27. Junii.

S. LADISLAI REGIS CONFESSORIS.

INTROITUS *Psal. 36.*

Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius.

Psalm. ibid. Noli aemulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem.
 ✠ Gloria Patri, etc.

O R A T I O.

Deus, qui beatum Regem Ladislaum Confessorem tuum, diversis decorasti miraculis: praesta quaesumus; ut ejus suffragantibus meritis, ab omnibus semper muniamur adversis, et gaudiis perfruamur aeternis. Per Dominum nostrum.

Lectio libri Sapientiae. *Sap. 10.*

Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. In fraude circumventientium illum affuit illi, et honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi, ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Haec venditum justum non derelinquit, sed a peccatoribus liberavit eum: descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non derelinquit illum, donec asserret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant; et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem aeternam, Dominus Deus noster.

Graduale. Psalm. 91. Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. ✠ Ad annuntiandum mane misericordiam tuam et veritatem tuam per noctem. Alleluja, Alleluja.

✠ *Jac. 1.* Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, Alleluja.

† *Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. Lucae. 19.*

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini dum venio. Cives autem ejus oderant eum; et miserunt legationem post illum dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est, ut rediret accepto regno, et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit, dicens: Domine mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates. Et alter venit dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario, timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. Dicit ei: de ore tuo te judico, serve nequam. Sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi; et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam? Et astantibus dixit. Auferte ab illo mnam, et date illi, qui decem habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur et abundabit: ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo.

Offertorium Psal. 88.

Veritas mea, et misericordia mea cum ipso; et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

S e c r e t a.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus; ut sicut B. Ladislaus Confessor tuus, spretis mundi oblectamentis, soli Regi Christo placere studuit; ita ejus oratio nos tibi reddat acceptos. Per eundem Dominum nostrum.

Communio Math. 24.

Beatus servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem, amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

Deus, qui beatum Confessorem tuum Ladislaum mirificasti in terris, et gloriosum in coelis fecisti; eundem, quaesumus, Ecclesiae tuae constitue defensorem. Per Dom. etc.

Die 5. Julii aut 27. Augusti.

S. JOSEPHI CALASANCTII CONFES.

Introitus Psal. 33.

Venite Filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *Psalm. ibid.* Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

✠. Gloria Patri, etc.

O R A T I O.

Deus, qui per Sanctum Josephum Confessorem tuum ad erudiendam spiritu intelligentiae, ac pietatis juventutem novum Ecclesiae tuae subsidium providere dignatus es; praesta quaesumus, nos ejus exemplo et intercessione ita facere et docere, ut praemia consequamur aeterna. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiae. Cap. 10.

Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum adfuit illi et honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum; et certamen forte dedit illi, ut vinceret, et sciret, quoniam omnium potentior est sapientia. Haec venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant; et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem aeternam Dominus Deus noster.

Graduale Psalm. 36. Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.

✠. Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus. Alleluja, Alleluja.

✠. *Jac. Cap. 1.* Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Alleluja.

† *Sequentia sancti Evangelii secundum Mathaeum. Cap. 18.*

In illo tempore: Acceserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas, major in regno Coelorum? Et advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum Coelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno Coelorum, et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

Offertorium Ps. 10.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus: praeparationem cordis eorum audivit auris tua.

Secreta.

Altare tuum, Domine, muneribus cumulamur oblati; ut ejus nobis fiant supplicatione propitia, cujus nos donasti patrocinio adjuvari. Per Dominum nostrum.

Communio Marci. Cap. 10.

Sinete parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei.

Postcommunio.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio quaesumus, ut intercedente Sancto Josepho Confessore tuo ad majus semper proficiamus pietatis incrementum. Per Dominum nostrum.

Die 18. Julii.

IN FESTO B. SIMONIS DE LIPNICA CON.

Missa: Os justi, de Communi Confessor. non Pontif. praet. orat. seq.

O R A T I O.

Omnipotens sempiternae Deus, qui beatum Simonem Confessorem tuum Evangelicae praedicationis gratia sublimasti, concede propitius; ut ejus doctrinae pabulo nutriti, quae tibi sunt placita exequentes, per semitas justitiae ad coelestem patriam pervenire valeamus.

Per Dominum etc. *Evangelium. Nolite timere ut in Missa Justus ut palma ejusd. Communi.*

21. Julii.

IN FESTO S. HIERONYMI AEMILIANI
CONFESSORIS.Introitus *Jer. thr. 2. 11.*

Effusum est in terra jecur meum super contritione filiae populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi.

Psalm. 112. Laudate pueri Dominum: Laudate nomen Domini.

✠ Gloria Patri etc.

O R A T I O.

Deus misericordiarum pater per merita et intercessionem beati Hieronymi, quem orphanis adiutorem et patrem esse voluisti, concede, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur et sumus, fideliter custodiamus. Per Dominum nostrum etc.

Lectio *Isaiae Prophetae c. 58 v. 7.*

Frangere esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum, si abstuleris de medio tui catenam, et desieris extendere digitum, et loqui quod non prodest. Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebrae tuae erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabis, et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquae.

Grad. *Prov. 5. v. 16. Deriventur fontes tui foras et in plateis aquas tuas divide.*

✠ *Psalm. 41. Jucundus homo, qui miseretur et commodat: disponet sermones suos in judicio, quia in aeternum non commovebitur. Alleluja, Alleluja. ✠ Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in saeculum saeculi, Alleluja.*

† *Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum. c. 19. v. 13.*

In illo tempore oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret et oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis: Sinete parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum coelorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata: Dixit illi: Quae? Jesus autem dixit: Non homicidium facies:

Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum et matrem tuam: et diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dicit illi adolescens: Omnia haec custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo; et veni sequere me. *Credo.*

Offertorium Tob. 12.

Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

Secreta.

Clementissime Deus, qui veteri homine consumpto novum secundum te in B. Hieronymo creare dignatus es, da per merita ipsius, ut nos pariter renovati hanc placationis hostiam in odorem tibi suavissimum offeramus. Per Dominum nostrum etc.

Communio Jac. 1. v. 27.

Religio munda et immaculata apud Deum et patrem haec est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.

Postcommunio.

Angelorum pane refecti te Domine, suppliciter deprecamur, ut qui annuam B. Hieronymi confessoris tui memoriam celebrare gaudemus, ejusdem etiam et exemplum imitemur, et amplissimum in regno tuo, praemium obtinere valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

30. Julii.

IN FESTO S. CAMILLI DE LELLIS CONF.

INTROITUS Joan. 15.

Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Psalm. 40. Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit cum Dominus.

✠. Gloria Patri etc.

O R A T I O.

Deus, qui Sanctum Camillum ad animarum in extremo agone luctantium subsidium singulari charitatis praerogativa decorasti, ejus, quaesumus, meritis spiritum nobis tuae dilectionis infunde; ut in hora exitus nostri hostem vincere, et ad coelestem mercamur coronam pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Lectio Epistolae beati Joannis apostoli. 1. Joan. 3.

Charissimi: Nolite mirari, si odit vos mundus. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum recessitatem habere, et clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.

Grad. *Psalm. 36.* Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus. Alleluja, Alleluja.

✠ *Psalm. 3.* Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus capit nimis, alleluja.

† *Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem. Joan. 15.*

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat; ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

Offertorium Psalm. 20.

In virtute tua, Domine, laetabitur justus, et super salutare tuum exultavit vehementer: desiderium animae ejus tribuisti ei.

Secreta.

Hostia immaculata, qua illud Domine nostri Jesu Christi immensae charitatis opus renovamus, sancto Camillo intercedente, sit contra omnes corporis et animae infirmitates salutare remedium; et in extremo agone solatium et tutela. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus etc.

Communicatio Matth. 25.

Infirmus fui, et visitastis me: Amen, amen dico vobis: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Postcommunio.

Per haec caelestia alimenta, quae Sancti Camilli Confessoris tui solemniter celebrantes, pia devotione suscepimus: da, quaesumus, Domine, ut in hora mortis nostrae sacramentis refecti, et culpis omnibus expiati, in sinum misericordiae tuae laeti suscipi mereamur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

Die 9. Augusti.

**IN FESTO S. EMIDII SEU EMIGDII,
Episcopi et Martyris.**

Introitus Psalm. 17.

Commota est et contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, quoniam iratus est eis.

Psalm. 19. Invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me.

✠ *Gloria Patri etc.*

O R A T I O.

Deus, qui beatum Emidium Martyrem tuum, atque Pontificem idolorum victoria, et miraculorum gloria decorasti; concede propitius, ut, eo interveniente malorum spirituum raudis vincere, et corruscare virtutibus mercamur. Per Dominum nostrum.

Lectio libri Apocalypsis beati Joannis Apostoli. Cap. 2.

In illa hora factus est terraemotus magnus, et decima pars Civitatis cecidit, et occisa sunt in terraemotu nomina hominum septem millia, et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo Coeli. Vae secundum abiit, et ecce Vae tertium veniet cito. Et septimus Angelus tuba cecinit, et factae sunt voces magnae in Coelo dicentes: Factum est regnum hujus mundi Domini nostri et Christi ejus, et regnavit in saecula saeculorum amen. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es, qui accepisti virtutem tuam magnam et regnasti.

Graduale. Psalm. 59. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.
✠ *Ut liberarentur dilecti tui: salvum fac dextera tua, et exaudi me. Alleluja, alleluja.*

Psalm. 88. Manus mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. Alleluja.

Post Septuag. omissio Alleluja dicitur Jerem. 3. Non avertam faciem meam a vobis, et non irascar in perpetuum.

✠ *Isai. c. 42. Dedi te in foedus populi et in lucem gentium.*

✠ *ibid. Factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua. Tempore Pasch. Alleluja, alleluja.*

✠ *Jerem. 1. Dedi te in civitatem munitam, et in columnam ferream et in murum aereum, alleluja.*

✠ *Ecli. 39. Date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi, alleluja.*

† *Sequentia S. Evangelii secundum Lucam. Lucae. 21.*

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum audieritis praelia et seditiones, nolite terri, oportet primum haec fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surgent gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et terraemotus magni erunt per loca, et pestilentiae, et fames, terroresque de Coelo, et signa magna erunt. Sed ante haec omnia injicient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad Reges et Praesides propter nomen meum: Continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris, non praemeditari, quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri. Trademini autem a parentibus et fratribus, et cognatis et amicis; et morte afficient ex vobis. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Offertorium Psalm. 59.

Commovisti terram et conturbasti eam, sana contritiones ejus, quia commota est.

S e c r e t a.

Munera tibi, Domine oblata sanctifica; ut per ea intercedente beato Emidio Martyre tuo, atque Pontifice, ab omnibus animae et corporis periculis liberemur. Per Dominum etc.

Communio Psalm. 32.

Timeat Dominum omnis terra: ab ea autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Postcommunio.

Sacramenta, quae sumpsimus, Domine, per intercessionem beati Emidii Martyris tui, atque Pontificis sint nobis ad tutamentum mentis et corporis, et ad misericordiam tuam efficaciter consequendam. Per Dominum.

Die 11. Augusti.

ST. PHILUMENAE VIR. MARTYRIS.

Missa. Loquebar de testimoniis tuis. De communi Virg. Martyr. primo loco, cum oratione:

Deus, qui inter cetera; ut in eadem Missa de communi.

Die 16. Augusti.

SANCTI ROCHI CONFESSORIS P. R. G.

Missa ex Communi Abbat. Os justi.

O R A T I O.

Deus, qui gloriosus es in Sanctis tuis, quique cunctis ad eorum patrocinia confugientibus suae petitionis salutarem praestas effectum; concede plebi tuae, ut intercedente

B. Rocho Confessore tuo, quae in ejus commemoratione se devotam exhibet, a languore epidemiae, quem in suo corpore pro tui nominis gloria passus est, sit libera, et tuo nomini semper devota. Per Dominum nostrum.

Die 20. Augusti.

S. BERNARDI ABB. ECC. DOCTORIS.

Missa. In medio Ecclesiae, cum Oratione: Deus, qui populo tuo; ut de comm. Doctorum, Epistola vero quae est secundo loco. Justus cor suum tradet etc.

Die 21. Augusti.

S. JOANNAE FRANCISCAE FREMIOT DE CHANTAL.

Missa de Communi Viduar. Cognovi Domine etc.

O R A T I O.

Omnipotens, et misericors Deus, qui beatam Joannam Franciscam tuo amore succensam, admirabili spiritus fortitudine per omnes vitae semitas in via perfectionis donasti; quique per illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole voluisti, ejus meritis et precibus concede, ut qui infirmitatis nostrae conscii de tua virtute confidimus, coelestis gratiae auxilio, cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum nostrum.

S e c r e t a.

Illo nos amoris igne, quaesumus Domine, haec hostia salutaris inflammet, quo beatae Joannae Franciscae cor vehementer incendit, et flammis adussit aeternae charitatis. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

Spiritum nobis, Domine tuae charitatis infunde, ut, quos coelestis panis virtute satiasti, beata Joanna Francisca intercedente, facias terrena despiciere, et te solum Deum pura mente sectari. Per Dominum etc. in unitate ejusdem Spiritus etc.

Die 18. Septembris.

IN FESTO S. JOSEPHI A CUPERTINO CONFESSORIS.

INTROITUS Eccl. Cap. 1. Vers. 14 et 15.

Dilectio Dei honorabilis sapientia: quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione et in agnitione magnalium suorum.

Psalm. 83. v. 1. Quam dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

✠. Gloria Patri etc.

O R A T I O.

Deus, qui ad unigenitum filium tuum exaltatum a terra omnia trahere disposuisti: perface propitius, ut meritis et exemplo Seraphici Confessoris tui Josephi supra terras omnes cupiditates elevati, ad eum pervenire mereamur. Qui tecum vivit et regnat etc.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios. Ep. 1. c. 13.

Fratres, si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Caritas patiens est, benigna est: Caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas nunquam exidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destructur.

Graduale Psalm. 20. Domine praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *ψ.* Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum, et in saeculum saeculi. Alleluja, Alleluja.

ψ. Ecc. c. 1. v. 13. Oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus. Aleluja.

† Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum. 22.

In illo tempore: Loquebatur Jesus principibus sacerdotum et pharisaeis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum Coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias et nolebant venire. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam: reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. Tunc ait servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt: sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos et bonos: et impletae sunt nuptiae discumbentium. Intravit autem rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Offertorium Psalm. 34. v. 13.

Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.

Secreta.

Laudis tibi, Domine, hostias immolamus in tuorum commemoratione sanctorum, quibus nos et praesentibus exui malis confidimus et futuris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc.

Communio Psalm. 68. v. 30 et 31.

Ego sum pauper et dolens: salus tua Deus suscepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude.

Postcommunio.

Refecti cibo, potuque coelesti, Deus noster, te supplices exoramus, ut in ejus haec commemoratione perceperimus, ejus muniamur et precibus. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Die 26. Septembris.
BEATI JOSAPHAT ARCHIEP. POLOC.
 MARTYRIS P. R. P.

Missa statuit de Com. unius Martyris Pontif.

O R A T I O.

Omnipotens sempiterne Deus, qui B. Josaphat palma Martyrii condecorando, Ecclesiae catholicae novum apud Te intercessorem providisti, quaesumus, ut ejus meritis et auxilio a malis omnibus liberati Tuo nomini studiosius serviamus. Per Dominum etc.

Evangelium vero: Si quis vult post me venire, ex Missa: Sacerdotes Dei, in eodem Communi unius Martyris secundo loco.

Die 1. Octobris.
 EX DOMINICA POST FESTUM S. MATTHAEI APOST. PROXIMA.
FESTUM SS. RELIQUIARUM IN ECCL.
UPSALENSI.

Quod inter patronos regni Sueciae habetur, Missa itaque accipitur ex 20. Martii cum suo Evangelio sicuti habetur in festo SS. Reliquiarum, quae in Archidioecesi coluntur, ex cepta oratione, quae sequitur.

O R A T I O.

Propitiare, quaesumus Domine famulis tuis per merita gloriosae Virginis Mariae et Beatorum Martyrum Laurentii, Erixi, et Omnium Sanctorum tuorum, quorum Reliquiarum memoriam celebramus, ut eorum pia intercessione ab omnibus semper protegatur adversis. Per Dominum nostrum etc.

Die 23. Octobris.
MISSA SANCTISSIMI REDEMPTORIS.

INTROITUS Isai. 61.

Gaudens gaudebo in Domino: et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiae circumdedit me.

Psalm. 88. Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem. Gloria Patri. Gaudens gaudebo etc.

G l o r i a.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum tuum mundi Redemptorem constituisti, et per eum devicta morte nos misericorditer ad vitam reparasti: concede, ut haec beneficia recolentes Tibi perpetua charitate adhaerere, et ejusdem Redemptionis fructum percipere mereamur. Per Dominum nostrum etc.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Ephesios. *Cap. 1.*

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et imaculati in conspectu ejus in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum: secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua glorificavit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus, quae superabundavit in nobis, et omni sapientia et prudentia: ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo.

Graduale. Psalm. 85. Omnes gentes quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia: Tu es Deus solus. Alleluja, alleluja,

Psalm. 73. Deus autem rex noster, ante saecula operatus est salutem in medio terrae. Alleluja.

† *Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem. Joan. 3.*

In illo tempore dixit Jesus Nicodemo: Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, qui credit in eum, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.

Dicitur Credo.

Offertorium.

Salus populi ego sum, dicit Dominus de quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, et ero illorum Deus in perpetuum. Alleluja.

Secreta.

Suscipe quaesumus Domine, oblatum redemptionis aeternae mysterium, et praesta ut Unigeniti Filii tui, gloriosis meritis intercedentibus, vivificet nos semper et muniat. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus etc.

Praefatio de Cruce: Qui salutem humani generis.

Communio Psalm. 106.

Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Alleluja.

Postcommunio.

Corporis tui sacri, ac pretiosi sanguinis, quo redempti sumus, Domine Jesu Christe, participes effecti, quaesumus ut in nobis tua munera tuearis, atque a praesentis vitae malis ereptos ad bona perducas sempiterna. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate etc.

Die 13. Novembris.

S. LEOPOLDI CONFES. MARCH. AUST.

Missa Os justi de Communi Confes. non Pon.

O R A T I O.

Deus, qui Sanctum Leopoldum, ex Principatu et curis saeculi hujus, immaculatum ad

regnum coeleste traduxisti: Concede propitius, tua Clementia ita nos per haec temporalia dirigi, ut aeternae vitae consortes effici mereamur. Per Dominum.

Epistola et alia ut in eadem Missa Os justi excepto Evangelio quod sequitur.

† **Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Luc. 19.**

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas et ait ad illos: **Negotiamini dum venio. Cives autem ejus oderant eum: et miserunt legationes post illum dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est ut rediret accepto regno: et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit dicens: Domine mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates. Et alter venit dicens: Domine ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te judico serve nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi: et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam? Et astantibus dixit: **Auferte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine: habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem, qui non habet, aufertur ab eo.****

Die 4. Decembris.

S. BARBARAE VIRG. ET MART. A.S.R.C.

Die 22. Septembris 1733 assignatur Missa: Loquebar de Communi Virginum Mart. etc.

O R A T I O.

Intercessio, quaesumus Domine, Beatae Barbarae Virginis et Martyris tuae, ab omni nos adversitate protegat, ut per ejus interventum, gloriosissimum Sacrosancti corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi Sacramentum ante diem exitus nostri, per veram poenitentiam, et puram confessionem percipere mereamur. Qui tecum vivit et regnat.

FESTA MOBILIA

SEU MISSAE, QUIBUS DIES DOMINICAE AUT FERIAE
ASSIGNANTUR.

FERIA VI. POST DOMINIC. SEPTUAG.

De Oratione Domini nostri Jesu Christi in monte Oliveti. Ex Rescripto S. R. Congr. ddo. 10. Julii 1838.

M I S S A.

Introitus Psalm. 54. V. 5. 6.

Cor meum conturbatum est in me et formido mortis cecidit super me, timor et tremor venerunt super me.

Psalm. 68. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. Gloria Patri etc. Cor meum contur. etc.

G l o r i a.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula superanda, concede propitius; ut nos orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur. Qui vivis et regnas etc.

Lectio Epistolae B. Pauli Apostoli ad Haebreos. Cap. 5. Vers. 5.

Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum secundum Ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suae, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido et lacrimis offerens exauditus est pro sua reverentia. Et quidem, cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus, sibi causa salutis aeternae. Appellatus a Deo pontifex juxta Ordinem Melchisedech.

Graduale Psalm. 87. 4. 5. Repleta est malis anima mea et vita mea inferno appropinquavit. Aestimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutorio.

Tractus Psalm. 68. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor velociter exaudi me.

Psam. 21. Ne discesseris a me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est, qui adjuvet.

† *Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 22.*

In illo tempore: egressus Jesus ibat secundum consuetudinem in montem olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli. Et cum pervenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne

intretis in tentationem. Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis: et positus genibus orabat. Dicens: Pater si vis, transfer calicem istum a me: Verum tamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de Coelo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius erabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

C r e d o.

Offertorium Ps. 68.

Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.

S e c r e t a.

Hujus sancti sacrificii meritis fac nos, quaesumus Domine divina institutione formatos curam orationi tam efficaciter impendere, ut Dominus noster Jesus Christus, Filius tuus in exitu nostro vigiles et a culpa solutos inveniat. Qui tecum vivit etc.

Praefatio de Cruce.

Communio Math. 26.

Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Postcommunio.

Refecti alimonia coelesti supplices te rogamus, Pater omnipotens, ut per unigeniti Filii tui orationis virtutem, nos in tantis corporis et animae periculis constituti ad coelestia regna secure pervenire mereamur. Per eundem Dominum etc.

FERIA VI. POST DOMINIC. SEXAGES.

Ex eodem S. R. C. Rescripto anni 1838.

COMMEMORATIO DOMINICAE PASSIONIS.

Missa votiva de Passione. Humiliavit et dicitur Gloria et Credo.

O R A T I O.

Omnipotens sempiternus Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum Salvatorem nostrum carnem sumere, et crucem subire fecisti: concede propitius; ut, sicut solemnem commemorationem Passionis ejus celebramus, ita et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eundem Dominum.

Praefatio de Cruce: Qui salutem.

FERIA VI. POST CINERIS.

IN FESTO SACRATISS. SPINEAE CORONAE D. N. J. CHRISTI.

Ex eodem S. R. C. Rescripto anni 1838.

INTROITUS Cant. 3.

Egredimini et videte Filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, parans crucem Salvatori suo.

Psalm. 8. Gloria et honore coronasti eum Domine: et constituisti eum super opera manuum tuarum.

✕. Gloria Patri et Filio etc. Egredimini etc.

**FERIA VI. POST DOMINIC. TERTIAM
QUADRAGESIMAE.**

SANCTORUM QUINQUE VULNERUM D.N.J.C.

Missa votiva de Passione Domini. Humiliavit et dicitur Gloria et Credo.

O R A T I O.

Deus, qui unigeniti Filii tui Passione, et per quinque Vulnera ejus sanguinis effusione, humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis, quaesumus, ut, qui ab eo suscepta Vulnera veneramur in terris, ejusdem praetiosissimi Sanguinis fructum consequi mereamur in coelis. Per eundem Dominum.

Et fit Commemoratio Feriae.

S e c r e t a.

Majestati tuae, quaesumus Domine, accepta sint dona, in quibus ipsa unigeniti tui Vulnera tibi offerimus, nostrae pretia libertatis. Per eundem Dominum.

Praefatio de Cruce.

Postcommunio.

Refecti vitalibus alimoniis, quaesumus Domine Deus noster, ut qui Vulnera Domini nostri Jesu Christi hodie devote colimus, haec in nostris cordibus impressa moribus et vita teneamus. Per eundem Dominum.

In fine Evang. Feriae.

**FERIA VI. POST DOMINIC. QUARTAM
QUADRAGESIMAE.**

PRAETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C.

I N T R O I T U S.

Redemisti nos Domine, in Sanguine tuo, ex omni tribu et lingua, et populo et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum. Apoc. 5. e.

Psalm. 88. Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

℟. Gloria Patri, etc. Redemisti etc.

G l o r i a.

O r a t i o.

Omnipotens sempiternae Deus, qui unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac ejus sanguine placari voluisti; concede quaesumus, salutis nostrae pretium solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit.

Et fit Commemoratio Feriae.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos. 9. c.

Fratres: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis: neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est: ut morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae haereditatis, in Christo Jesu Domino nostro.

^{1. Joan.} *Graduale.* Hic est, qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus: non in aqua
^{5. b.} solum, sed in aqua et sanguine.

✠. Tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua et sanguis: et hi tres unum sunt.

Tractus. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.

✠. Remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus, quae superabundavit in nobis.

✠. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu.

✠. Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.

† Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem. 19. f.

In illo tempore: Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Judaei ergo, (quoniam Parasceve erat) ut non remaneret in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus.

C r e d o.

Offertorium.

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?

Secreta.

Per haec divina mysteria, ad novi, quaesumus, testamenti mediatorem Jesum accedamus, et super altaria tua, Domine virtutum, aspersionem Sanguinis, melius loquentem quam Abel, innovemus. Per eundem Dominum nostrum,

Praefatio de Cruce.

Communio.

Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundo sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem.

Postcommunio.

Ad sacram, Domine, mensam admissi, hausimus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: Sanguis ejus fiat nobis, quaesumus, fons aquae in vitam aeternam salientis. Qui tecum vivit et regnat.

In fine Missae dicitur Evangelium Feriae.

DOMINICA II. POST PASCHA.
IN FESTO SANT. SEPULCHRI D. N. J. C.

INTROITUS Isaiæ C. 11.

In illa die erit radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur; Alleluja, et erit sepulchrum ejus gloriosum. Alleluja.

Psalm. 45. Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

†. Gloria Patri etc. In illa etc.

G l o r i a.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subire, et in sepulchro depositus tertia die resurgere voluisti, concede famulis tuis, ut qui sepulchri tui memoriam recolimus, Resurrectionis quoque gloriae participes esse mereamur. Qui vivis etc.

Lectio Actuum Apostolorum. Cap. 13.

In diebus illis: surgens Paulus et manu silentium indicens ait: Viri fratres filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem et principes ejus, ignorantes Jesum et voces Prophetarum, quae per omne Sabbathum leguntur, judicantes impleverunt: et nullam causam mortis inventientes in eo petierunt a Pilato, ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quae de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die; qui visus est per multos dies his, qui simul ascenderant cum eo de Galilaea in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

Graduale. Job. 13. Qui expectant mortem et non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint sepulchrum. Alleluja, Alleluja.

Joan. 20. Currebant duo simul et ille alius discipulus praecurrit citius Petro, et venit prior ad monumentum. Alleluja.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Luc. 24.

Una Sabbathi valde diluculo venerunt mulieres ad monumentum, portantes, quae paraverunt aromata et invenerunt lapidem revolutum a monumento, et ingressae non invenerunt Corpus Domini Jesu. Et factum est, dum mente consternatae essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas, quid quaeritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum et crucifigi et die tertia resurgere. Et recordatae sunt Verborum ejus, et regressae a monumento, nuntiaverunt haec omnia illis undecim et caeteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et caeterae, quae cum eis erant, quae dicebant ad Apostolos haec: Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista et non crediderunt illis. Petrus autem surgens, cucurrit ad monumentum, et procumbens vidit linteanima sola posita, et abiit secum mirans, quod factum fuerat.

C r e d o.

Offertorium Ps. 41.

Transibo in locum Tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, Alleluja.

S e c r e t a.

Deus, qui per depositionem sanctissimi Corporis Filii tui in Sepulchro, idem Sepulchrum sanctificasti, concede quaesumus, ut in hoc sepulchro anima et corde habitemus. Per eund.

Communio Sap. 9.

Beatus, qui audit me et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei, Alleluja.

Postcommunio.

Deus, qui nos sancti Sepulchri Filii tui lactari facis honore: praesta quaesumus, ut in eodem sepulti, mundo moriamur, et tibi soli vivamus. Per eundem.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS D. N. J. C.

IN FESTO SANCT. BONI LATRONIS.

INTROITUS Gal. 6.

Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita et resurrectio nostra: per quem salvati et liberati sumus, Alleluja, Alleluja.

Psalm. 66. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

✠. Gloria Patri etc. Deus mis. etc..

G l o r i a.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui justificas impios, te supplices exoramus, ut nos benigno intuitu, quo Unigenitus tuus beatum traxit Latronem ad dignam poenitentiam provoces et illam, quam ei promisit, tribuas nobis gloriam sempiternam. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum.

Lectio Isaiae Prophetae. Cap 59.

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat: Sed iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum: peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestrae pollutae sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur. Non est qui invocet justitiam, neque est qui judicet vere: sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates: conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem. Alleluja, Alleluja.

✠. Dicite in gentibus: quia Dominus regnavit a ligno. Alleluja.

✠. Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera: quae sola fuisti digna sustinere Regem coelorum, et Dominum. Alleluja.

† *Sequentia S. Evangelii secundum Lucam. Lucae. 23.*

In illo tempore: Unus de his qui pendebant, Latronibus, blasphemabat Jesum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac teipsum et nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso.

Dicitur Credo ratione Dominicae.

Offertorium. Psalm. 117.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; dextera Domini fecit virtutem: non moriar, sed vivam et narrabo opera Domini, alleluja.

S e c r e t a.

Haec oblatio, Domine quaesumus ab omnibus nos purget offensis: quae in ara crucis etiam totius mundi tulit offensam. Per eundem Dominum nostrum.

Praefatio. Qui salutem.

Communio.

Per signum crucis, de inimicis nostris libera nos Deus noster. Alleluja.

Postcommunio.

Adesto nobis, Domine Deus noster: et quos sanctae crucis laetari facis honore, ejus quoque perpetuis defende subsidiis. Per Dominum nostrum.

FERIA VI. POST OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

IN FESTO SANCTISSIMI CORDIS JESU.

Missa. Vigore decreti S. R. C. ddo. 11. Maji 1765.

INTROITUS Hierem. in Thr. Cap. 3.

Miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum; non enim humiliavit ex corde suo, et abiecit Filios hominum: bonus est Dominus sperantibus in Eum, animae quaerenti illum. Alleluja, alleluja.

Psalm. 88. Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem. Gloria Patri. Miserebitur.

O R A T I O.

Concede quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui corde gloriantes, praecipua in nos Charitatis ejus beneficia recolimus: Eorum pariter et actu delectemur, et fructu. Per eundem Dominum nostrum.

Lectio Isaiae Phrophetae. Isai, Cap. 12.

Confitebor Tibi Domine, quoniam iratus es mihi: Conversus est furor tuus, et consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo; quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et dicetis in illa die: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino quoniam magnifice fecit, annunciate hoc in universa terra. Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio Tui Sanctus Israel.

Graduale. Jerem. Thren. c. 1. O Vos omnes, qui transitis per viam attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.

✠. Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Alleluja, alleluja.

✠. *Mathaei 11. 29. Discite a me quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Alleluja.*

† *Sequentia S. Evangelii secundum Joannem. Cap. 19. 31.*

In illo tempore Judaei, quoniam Parasceve erat, ut non remaneret in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum Lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et quivdidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus.

Offertorium Psalm. 102.

Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui replet in bonis desiderium tuum. Alleluja.

Secreta.

Tuere nos, Domine, tua tibi holocausta offerentes; ad quae ferventius corda nostra praeparentur, flammis adure **T**uae divinae Charitatis. Qui vivis et regnas.

Praefatio de Passione.

Communio Psalm. 68.

Improperium expectavit cor meum, et miseriam, et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni. Alleluja.

Postcommunio.

Pacificis pasti delicis, et salutaribus Sacramentis, Te supplices exoramus, Domine Deus noster, ut qui mitis es, et humilis corde, mentes nostras a saecularibus desideriis eruas, et nos a peccatorum maculis clementer abstergas. Qui vivis et regnas.

**ULTIMO SABBATO MENSIS MAJI.
PURISSIMI CORDIS BSMAE. V. M.**

Missa ex votivis de Beata Salve Sancta; cum Gloria, Credo, Praefatio et Te in Festivitate B. M. V. vigore Rescripti S. R. C. ddo. 10. Julii 1838.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

**IN FESTO B. JACOBI DE STREPA,
CONFES. EX MINORUM ORDINE ARCHIEPISC. LEOPOLITANI.**

I N T R O I T U S Isaiae Cap. 61. Vers. 1.

Spiritus Domini super me, et quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me.

Psalm. 131. Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus.

γ. Gloria Patri etc. Spiritus Domini etc.

O R A T I O.

Deus, qui in B. Jacobo Confessore tuo, atque Pontifice Apostolicum evangelizandi Spiritum mirabiliter renovasti, praesta quaesumus, ut ipso intercedente, fide ac moribus tibi jugiter adhaeamus. Per Dominum nostrum etc.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Philippenses. Cap. 1.

Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in Evangelio Christi a prima die usque nunc. Confidens hoc ipsum quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis, et in defensione, et confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu; ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi repleti fructu justitiae per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei.

Graduale. Eccl. 44. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.

✠. **Non est inventus similis illi qui conservaret legem Excelsi. Alleluja.**

✠. *Psalm. 109. Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Alleluja.*

Post Septuagesimam omissis Allel. et versu sequenti dicitur Tractus Psalm. III. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

✠. **Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.**

✠. **Gloria et divitiae in domo ejus: et justitia ejus manet in saeculum saeculi.**

Tempore Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicitur Alleluja, Alleluja, Alleluja.

✠. *Psalm. 109. Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Alleluja.*

✠. **Hic est Sacerdos, quem coronavit Dominus, Alleluja.**

✠ *Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 10.*

In illo tempore: dixit Jesus Pharisaeis: Ego sum pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit et dispergit oves, mercenarius autem fugit quia Mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae. Sicut novit me pater, et ego cognosco patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere; et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.

O F F E R T O R I U M.

Elegit eum Dominus Sacerdotem sibi ad sacrificandum Hostiam laudis.

S e c r e t a.

Tua quaesumus Domine munera illas in nobis purissimi amoris flammis excitent, quibus Beatus Jacobus eadem offerendo tantopere flagrabat. Per Dominum etc.

Communio Math. Cap. 10.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, praedicate super tecta.

Postcommunio.

Perseveret in cordibus nostris piissime Deus, percepti gratia Sacramenti, ut ea roborati, Beati Jacobi exemplo, et hostes vincere, et incorruptibilem gloriae coronam assequi valeamus. Per Dominum etc.

**DOMINICA PROXIMA POST OCTAVAM
BB. APOSTOL. PETRI ET PAULI.
B. JOANNIS DE DUKLA.**

Missæ: Os justi, de comm. Conf. non Pont.

O R A T I O.

Deus, qui B. Joannem confessorem tuum eximiae humilitatis ac patientiae donis, decorasti; concede propitius, ut ejusdem imitantes exempla consequamur et praemia. Per Dominum etc.

Evangelium. Nolite timere pusillus grex. Ex missa: Justus ut palma.

**DOMINICA SECUNDA POST OCTAVAM
ASSUMPTIONIS BSSMAE, VIRG. MAR.
IN FESTO SANCTI JOACHIM GENIT. B. M. V.
Protectoris R. P. et M. D. L. a S. R. Congr. XI. Maji 1765 approbata.**

I N T R O I T U S Eccl. 44.

Laudemus virum gloriosum in generatione sua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum suum confirmavit super caput ejus.

Psalm. III. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. Gloria Patri. Laudemus.

O R A T I O.

Deus, qui prae omnibus Sanctis tuis Beatum Joachim Genitricis Filii tui Patrem esse voluisti, concede quaesumus, ut cujus Festa veneramur, ejus quoque perpetua patrocinia sentiamus. Per eundem Dominum.

Lectio libri Ecclesiastici. Cap. 44.

Laudemus Viros gloriosos, et Parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a saeculo. Dominantes in potestatibus suis homines magni virtute, et prudentia sua praediti, nuntiates in Prophetis dignitatem Prophetarum, et imperantes in praesenti populo, et virtute prudentiae populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum. Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes. Pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.

Graduale. Psalm. III. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. Gloria et divitiae in domo ejus, et justitia ejus manet in saeculum saeculi. Alleluja, alleluja.

✕. O Joachim Sancte, Conjux Annae. Pater almae Virginis, hic famulis confer salutis opem. Alleluja.

† Inisium Sancti Evangelii secundum Mathaeum. *Math. 1.*

Liber generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam, et fratres ejus. Iudas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron, Esron autem genuit Aram, Aram autem genuit Aminadab, Aminadab autem genuit Naasson, Naasson autem genuit Salmon, Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth, Obed autem genuit Jesse, Jesse autem genuit David Regem, David autem Rex genuit Salomonem ex ea, puae fuit Uriae. Salomon autem genuit Roboam, Roboam autem genuit Abiam, Abias autem genuit Asa, Asa autem genuit Josaphat, Josaphat autem genuit Joram, Joras autem genuit Oziam, Ozias autem genuit Joathan, Joathan autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Ezechiam, Ezechias autem genuit Manassem, Manasses autem genuit Amon, Amon autem genuit Josiam, Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, Zorobabel autem genuit Abiud, Abiud autem genuit Eliacim, Eliacim autem genuit Azor, Azor autem genuit Sadoc, Sadoc autem genuit Achim, Achim autem genuit Eliud, Eliud autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Mathan, Mathan autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Joseph Virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Offertorium Eccl. Cap. 44.

Dedit illi Dominus gloriam, et exaltavit semen ejus usque ad terminos terrae.

S e c r e t a.

Suscipe Clementissime Deus, sacrificium in honorem Sancti Patriarchae Joachim, Patris Mariae Virginis, Majestati tuae oblatum: ut ipso cum Conjuge sua, et beatissima prole intercedente, perfectam consequi mereamur remissionem peccatorum, et gloriam sempiternam. Per Dominum etc.

C o m m u n i o Eccl. 44.

Factum est illi testamentum aeternum, et semini ejus sicut dies coeli.

P o s t c o m m u n i o.

Quaesumus omnipotens Deus: ut per haec Sacramenta quae sumpsimus, intercedentibus meritis et precibus Beati Joachim Patris Genitricis dilecti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, tuae gratiae in praesenti, et aeternae gloriae in futuro participes esse mereamus. Per eundem Dominum.

DOMINICA PROXIMA POST FETUM S. MATTHAEI APOSTOLI.

BEATI LADISLAI DE GIELNIOW, CONF.

Missa: Os justis.

O R A T I O.

Deus, qui B. Ladislaum religiosa perfectione voluisti omnibus praelucere, concede propitius, ut ejus exemplo virtutibus jugiter proficiamus. Per Dominum nostrum.

Evangelium: Nolite timere pusillus grex. de eodem communi. Conf.

----- 42 -----

DOMINICA SECUNDA OCTOBRIS.
IN FESTO MATERNITATIS BEAT. MARIAE
VIRGINIS.

INTROITUS. *Sedulus.*

Salve sancta Parens, enixa puerpera Regem, qui coelum terramque regit in saecula saeculorum.

Psalm. 44. Eructavit cor meum verbum bonum; dico ego opera mea Regi.

✠ Gloria Patri etc. Salve etc.

G l o r i a.

Oratio.

Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum.

Lectio libri Sapientiae. *Eccl. 24.*

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnes viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel et favum. Memoria mea in generationes saeculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur; et qui operantur me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.

Graduale. Isai. 11. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.

✠ Et requiescet super eum Spiritus Domini. Alleluja, alleluja.

✠ *Isai. 7.* Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Alleluja.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 2.*

In illo tempore: Cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt Parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos. Et non inveniētes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quaerebatis; nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis et venit Nazareth, et erat subditus illis.

C r e d o.

Offertorium Math. 1.

Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.

S e c r e t a

Tua, Domine, propitiatione, et beatae Mariae semper Virginis Unigeniti tui Matris intercessione, ad perpetuam, atque praesentem haec oblatio nobis proficiat prosperitatem et pacem. Per eundem Dominum nostrum etc.

Praefatio de B. M. Et te in festivitate.

Communio.

Beata viscera Mariae Virginis, quae portaverunt aeterni Patris Filium.

Postcommunio.

Haec nos communio, Domine, purget a crimine; et intercedente beata Virgine Dei Genitrice Maria, coelestis remedii faciat esse consortes. Per eundem Dominum.

DOMINICA TERTIA OCTOBRIS.

IN FESTO PURITATIS BEATAE MARIAE V.

INTROITUS. *Sedulius.*

Salve Sancta Parens, enixa puerpera Regem, qui coelum terramque regit in saecula saeculorum.

Psalm. 44. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

✠. *Gloria Patri, etc. Salve etc.*

Gloria.

Oratio.

Da, quaesumus omnipotens aeternae Deus, ut purissimae Virginis Mariae integerrimam Virginitatem festiva celebritate venerantes, ejus intercessione puritatem mentis et corporis consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Lectio libri Sapientiae Cant. 2.

En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra: ficus protulit grossos suos, vineae florentes dederunt odorem suum. Surge amica mea, speciosa mea et veni. Columba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceriae, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

Graduale Cant. 2. Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias.

✠. **Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. Alleluja. Alleluja.**

✠. *Cant. 6.* Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Alleluja.

† **Sequentia S. Evangelii secundum Lucam. Lucae. 1.**

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum; ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

C r e d o.

Offertorium.

Post partum Virgo inviolata permansisti: Dei Genitrix intercede pro nobis.

Secreta.

Unigeniti tui, Domine, nobis succurrat humanitas; ut qui natus de Virgine Matris integritatem non minuit, sed sacravit, in Puritatis ejus solemnibus, nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram tibi faciat acceptam Jesus Christus Dominus noster qui tecum vivit etc.

Praefatio de B. M. Et te in Festivitate.

Communio.

Benedicta et venerabilis es Virgo Maria, quae sine tactu pudoris, inventa es mater Salvatoris.

Postcommunio.

Sumptis, Domine, salutis nostrae subsidiis, da, quaesumus, purissimae Virginis Mariae patrocinibus nos ubique protegi, in cujus veneratione haec tuae obtulimus majestati. Per Dominum.

DOMINICA IV. OCTOBRIS.

IN FESTO SANCTI JOANNIS CANTII CONF.

INTROITUS Eccl. 18. 12.

Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem Carnem. Qui misericordiam habet, docet, et erudit, quasi pastor gregem suum.

Psalm. 1. 1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit et in Cathedra pestilentiae non sedit.

✠. Gloria Patri etc. Miseratio hominis etc.

G l o r i a.

Oratio.

Da quaesumus omnipotens Deus, ut Sancti Joannis Confessoris exemplo in scientia Sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes, ejus meritis indulgentiam apud te consequamur. Per Dominum nostrum etc.

Lectio Epistolae beati Jacobi Apostoli. *Cap. 2. 12.*

Sic loquimini et sic facite sicut per legem libertatis incipientes judicari: Judicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam superexaltat misericordia judicium. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Num quid poterit fides salvare eum? Si autem frater et soror nudi sunt et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace calefacimini et saturamini; non dederit autem eis, quae necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

Graduale. Psalm. 106. 8. Confiteantur Domino misericordiae ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

G l o r i a.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum tuum in Passione sua, spinea Corona decorari et regem adorari voluisti, da nobis, quaesumus, ob piam venerationem sacrae illius spineae Coronae in Coelesti ejus Regno Coronam gloriae suae, et aeterni Regis Majestatem perpetuo contemplari. Per eundem Dominum.

Deinde fit commemoratio Feriae.

Lectio libri Sapientiae. Cant. 3. et 4.

Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi: unius cujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Lectulum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem. Egredimini et videte Filiae Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitia cordis ejus. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, coronaberis.

Graduale. Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

✠. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Tractus. Induit eum Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiae, quasi sponsum decoratum corona.

✠. Corona tribulationis effloruit in Coronam gloriae, et sertum exultationis.

✠. Accepit regnum decoris, diadema speciei.

In Missis votivis a Pascha usque ad Pentecosten. Alleluja, alleluja.

✠. Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis. Alleluja.

✠. Tibi gloria Hosanna: tibi triumphus et victoria: tibi summae laudis et honoris Corona. Alleluja.

A Pentecoste usque ad Septuagesimam.

Graduale. Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

✠. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Alleluja, alleluja. ✠. Corona tribulationis effloruit in Coronam gloriae, et sertum exultationis. Alleluja.

† *Sequentia S. Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.*

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: et veste purpurea circumdederunt eum: Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judaeorum: et dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus, portans coronam spineam et purpureum vestimentum.

C r e d o.

O F F E R T O R I U M.

Tuam Coronam adoramus, Domine: Tuam gloriosam recolimus passionem.

S e c r e t a.

Tuorum militum, Rex omnipotens, virtutem roboras: ut, quos in hujus mortalitatis stadio, Unigeniti Filii tui Corona laetificat, consummato cursu certaminis, immortalitatis bravium apprehendant. Per eundem Dominum etc.

Praefatio de Cruce.

C o m m u n i o.

Laetare Mater nostra, quia dabit Dominus capiti tuo augmenta gratiarum, et Corona inclita proteget te.

P o s t c o m m u n i o.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: ut haec Sacramenta, quae sumpsimus per Sacrosanctae Filii tui Coronae, cujus solemnia recensemus, virtutem, nobis proficiant ad medelam. Per eundem Dominum etc.

**IN FERIA VI. POST DOMINIC. PRIMAM
QUADRAGESIMAE.**

LANCEAE ET CLAVIS DOM. N. J. CHRISTI.

I N T R O I T U S Ps. 21.

Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea, et sicut aqua effusus sum.

Psalm. ibid. Tactum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

✠. Gloria Patri etc. Foderunt. Gloria.

O R A T I O.

Deus, qui in assumptae carnis iufirmitate Clavis affigi, et Lancea vulnerari pro mundi salute voluisti; concede propitius, ut qui eorundem Clavorum, et Lanceae solemnia veneramur in terris, et glorioso victoriae tuae triumpho gratulemur in coelis: Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

Et fit commemoratio Feriae et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Lectio Zachariae Prophetae. Zach. 12.

Haec dicit Dominus: Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum, et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, et dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum, ut super virum cohaerentem mihi dicit Dominus exercituum. Percute Pastorem, et dispergentur oves, ait Dominus omnipotens.

Graduale Psalm. 68. Improperium expectavit cor meum, et miseriam; et sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non fuit: consolantem me quaesivi, et non inveni.

✠. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aecto.

Tractus. Isai. 53. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

✠. Et nos putavimus eum, quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.

✠. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

✠. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

In Missis votivis a Pascha usque ad Pentec. Alleluja, alleluja.

✠. Ave Rex noster: tu solus nostros es miseratus errores: Patri obediens, ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem. Alleluja.

✠. Tibi Gloria, hosanna: tibi triumphus et victoria: tibi summae laudis et honoris corona. Alleluja.

A Pentecost. usque ad Septuag. Graduale. Psalm. 68.

Improperium expectavit cor meum, et miseriam, et sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non fuit; consolantem me quaesivi, et non inveni.

✠. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Alleluja, alleluja.

✠. Ave Rex noster: Tu solus nostros es miseratus errores: Patri obediens, ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem, alleluja.

† Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem. Joan. 19.

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circum ponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit Spiritum. Judaei ergo (quoniam Parasceve erat) ut non remaneret in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum Lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus.

Credo.

Offertorium.

Insurrexerunt in me viri iniqui, absque misericordia quaesierunt me interficere: et non pepercerunt in faciem meam spuere: lanceis suis vulneraverunt me, et concussa sunt omnia ossa mea.

Secreta.

Sanctificet nos, quaesumus Domine, hoc sanctum et immaculatum sacrificium vespertinum, quod unigenitus Filius tuus in cruce obtulit pro salute mundi. Qui tecum vivit etc.

Praefatio de cruce.

Communio Psalm. 30. 20.

Videbunt in quem transfixerunt, cum moverentur fundamenta terrae.

Postcommunio.

Domine Jesu Christe, qui temet ipsum in Cruce holocaustum immaculatum, et spontaneum Deo Patri obtulisti; quaesumus, ut ejusdem sacrificii oblatio veneranda indulgentiam nobis obtineat, et gloriam sempiternam. Qui vivis et regnas etc.

FERIA VI. POST DOMINICAM SECUND. QUADRAGESIMAE.

SACRAE SINDONIS D. N. J. C.

INTROITUS.

Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. *Psalm.* Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. *Phil. 2. A.*
Psalm. 88.

✠. Gloria Patri. Humiliavit etc. *Gloria.*

O R A T I O.

Deus, qui nobis in sancta sindone, qua corpus tuum sacratissimum e Cruce depositum a Joseph involutum fuit, Passionis tuae vestigia reliquisti: concede propitius, ut per mortem sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis et regnas.

Et fit Commemoratio Feriae.

Lectio Isaiiae Phrophetae. 62. d. et 63. a.

Haec dicit Dominus Deus: Dicite filiae Sion: Ecce Salvator tuus venit: ecce merces ejus cum eo. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo annus redemptionis meae venit. Circumspexi, et non erat auxiliator: quaesivi et non fuit qui adjuvaret: et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quae reddidit nobis Dominus Deus noster.

Psalm. 68. Graduale. Improperium expectavit cor meum, et miseriam: et sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non fuit: et consolantem me quaesivi, et non inveni.

✠. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Isaiac 43. b. Tractus. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

✠. Et nos putavimus eum, quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.

✠. Ipse vero vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

✠. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

† *Sequentia Sancti Evangelii secundum Marcum. 15. d.*

In illo tempore: Cum jam sero esset factum (quia erat Paresceve, quod est ante Sabbatum) venit Joseph ab Arimathaea nobilis decurio, qui et ipse erat exspectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit Corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset. Et eum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti. *Credo.*

Offertorium.

Exod. 28. g. **I**ngressus Aaron tabernaculum, ut holocaustum offerret super altare pro peccatis filiorum Israel, tunica linea indutus est.

Secreta.

Acepta tibi, Domine, sint, haec munera, cui pro mundi salute grata extitit Filii tui passio gloriosa. Per eundem Dominum.

Praefatio de Cruce.

Communio.

Marc. 15. d. **J**oseph autem mercatus sindonem, et deponens eum, involvit sindone.

Postcommunio.

Satiasti Domine, familiam tuam muneribus sacris: quaesumus, ut per temporalem Filii tui mortem, quam mysteria veneranda testantur, vitam te nobis dedisse perpetuam confidamus. Per eundem Dominum.

In fine dicitur Evangelium Feriae.

✠. *Psalm.* 106. 9. Quia satiavit animam inanem et animam esurientem satiavit bonis.
Alleluja. Alleluja.

✠. *Proverb.* 31. 20. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.
Alleluja.

† *Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. Lucae 12. 35.*

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret pater familias, qua hora fur veniret: vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

C r e d o .

Offertorium. Job. 29. 14.

Justitia indutus sum et vestivi me sicut vestimento et diademate, iudicio meo; oculus fui caeco et pes claudus: Pater eram Pauperum.

S e c r e t a .

Has quaesumus Domine, hostias Sancti Joannis Confessoris tui meritis benignus assume et praesta, ut te super omnia et omnes propter te diligentes, corde tibi et opere placeamus. Per Dominum etc.

Communio Luc. 6. 38.

Date et dabitur vobis, mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

Postcommunio.

Pretiosi corporis et sanguinis tui Domine pasti deliciis tuam supplices deprecamur clementiam: ut Sancti Joannis Confessoris tui meritis et exemplis ejusdem caritatis imitatores effecti, consortes simus et gloriae. Qui vivis etc.

DOMIN. PROXIMA POST XIII. NOVEMB S. STANISLAI ROSTRA CONF.

I N T R O I T U S Sap. c. 4.

Consumatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.

Psalm. 112. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.

✠. Gloria Patri etc.

G l o r i a .

Oratio.

Deus, qui inter caetera Sapientiae tuae miracula etiam in tenera aetate maturae sanctitatis gratiam contulisti; da quaesumus, ut Beati Stanislai exemplo tempus instanter operando redimentes, in aeternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum nostrum etc.

Lectio libri Sapientiae. Sap. 4.

Justus si morte praecipuus fuerit, in refrigerio erit, senectus enim venerabilis non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, et

senectutis vita immaculata: Placens Deo factus est dilectus: et vivens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia. Consumatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes et non intelligentes, nec ponentes in praecordiis talia: quoniam gratia Dei et misericordia est in Sanctos ejus et respectus in Electos illius. Condemnat autem justus mortuus vivos impios et juvenus celerius consumata longam vitam injusti.

Graduale Psalm. 20. Desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

✠. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Alleluja, alleluja.

✠. Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in aeternum fundasti ea. Alleluja.

† *Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 19.*

In illo tempore: oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret et oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis: Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum coelorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. Et ecce unus accedens ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, conserva mandata. Dixit illi: Quae? Jesus autem dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices; honora patrem tuum, et matrem tuam et diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Dicit illi adolescens: Omnia haec custodivi a juventute mea: quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo: et veni sequere me.

C r e d o.

Offertorium Psalm. 42.

Intrabo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S e c r e t a.

Angelorum pane, quaesumus Domine Beati Stanislai nos intercessio dignos efficiat, qui eo meruit Angelica manu recreari. Per Dominum etc.

Communio Eccl. 15.

Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potavit illum.

Postcommunio.

Ut nobis, Domine coelestis, quem sumpsimus, panis sit vitae, beato Stanislao Confessore tuo intercedente, quaesumus, ut panis sit intellectus et potus aqua sapientiae salutaris. Per Dominum nostrum etc.



A. M. D. G.

I N D E X

FESTORUM SEU MISSARUM IN HAC AP- PENDICE CONTENTARUM.


FESTA FIXA.


23. Januárii. S. Joannis Eleemosyn. E. C.
28. » S. Ildephonsi E. C. E. D.
3. Februarii. S. Blasii E. M.
5. » SS. Martyrum Japonen.
6. » S. Dorotheae V. M.
9. » S. Severini Abb.
19. » S. Conradi Placen. C.
20. » SS. Reliquiarum in Ecclsi. Archid.
23. » S. Petri Damian. E. C. E. D.
1. Martii. S. Albini E. C.
2. » S. Helenae Imp. Vid.
3. » S. Vincentii Kadłubek E. C.
13. » S. Catharinae Bonon. Virg.
15. » S. Longini Mart.
24. Aprilis. S. Georgii Martyris.
27. » S. Fidelis a Sigm. M.
16. Maj S. Joannis Nepom. M.
17. » S. Paschalis Bajl. Conf.
21. » S. Felicis a Cantail. C.
24. » Bssmae. Virg. Mariae titulo: Auxilium Christianorum.
4. Junii. S. Francisci Carac. C.
25. » S. Guilhelmi Abb.
27. » S. Ladislai Reg. Conf.
5. Julii. S. Josephi Calas. C.
18. » S. Simonis de Lipnica. C.
21. » S. Hieronimi Emil. C.
30. » S. Camilli de Lellis C.
9. Augusti S. Emigdi E. M.
11. » S. Philumenae V. M.
16. » S. Rochi Conf.
20. » S. Bernardi Abb. E. D.
21. » S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal, Vid.
18. Septemb. S. Josephi a Cupert. C.
26. » S. Josaphat Arch. Eppi. M.
1. Octobris. SS. Reliquiarum. in Ecclesia. Upsal.
23. » Sanctissimi Redemptoris.
13. Novemb. S. Leopoldi C.
4. Decemb. S. Barbarae Virg. M.

FETSA MOBILIA.


- Feria VI. post Dominicam Septuagesimam. De Oratione Domini nostri Jesu Christi in monte Oliveti.
Feria VI. post Domin. Sexages. Commemoratio Passionis Domini nostri Jesu Christi.
Feria VI. post Cineres. S. Spineae Coronae D. N. J. Ch.
Feria VI. post Domin. I. Quadragesimae. De Lancea et Clavis. D. N. J. Ch.
Feria VI. post Domin. II. Quadrages. Sacratissimae Sydonis D. N. J. Ch.
Feria VI. post Domin. III. Quadrages. SS. Quinque Vulnerum D. N. J. Ch.
Feria VI. post Domin. IV. Quadrages. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Ch.
Dominica II. post Pascha. Ssmi. Sepulchri Hierosolim.
Dominica infra Octavam Ascensionis Domini. S. Dismae. Boni Latronis.
Feria VI. post Octavam Ssmi. Corporis Christi. Ssmi. Cordis Jesu.
Ultimo Sabbato mensis Maj. Purissimi Cordis Bssmae. Virg. Mariae.
Dominica III. post Pentecost. B. Jacobi de Stropa, Arch. Eppisc. Leopoliensis Conf.
Dominica proxima post Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli. B. Joannis de Dukla Conf.
Dominica II. post Octavam Assumpt. Bssmae. Virg. Mariae. S. Joachimi P. Bssme. Virg. Mariae.
Dominica proxima post Fest. S. Matthaei Apli. B. Ladislai de Gielniow Conf.
Dominica II. Octocris aut alia die ab Ordinar. assignanda: Maternitatis Bssmae. Virg. Mariae.
Dominica III. Octobris aut alia die ab Ordinar. assignana: Puritatis Bssmae. Virg. Mariae.
Dominica IV. Octobris S. Joannis Cantii Conf.
Demnica proxima post 13am Novembris. S. Stanislai Kostka Conf.











Konserwację przeprowadził(a):

Janina Delikmata

Wrocław, dnia 23 VIII 1994

Opracowanie wykonał(a):

Henryk Świdorski

Wrocław, dnia 23 IX 1994

Rezygnację, przeprowadził(a): komora

Bresław Kowalski

Wrocław, dnia 8 1994





MISSALE
ROMANUM